

Heinrich Müller

**Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Müller/ Theol. D. & Prof. Ordinar. Ad  
Gloriosam & salutiferam Conservatoris nostri Jesu Christi a morte  
resurrectionem Pia cum devotione meditandum Omnes, qui Academiam pro  
Magistratu habent, officiose invitat serioque cohortatur**

Rostochii: Kilius, 1670

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn733989098>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

—  
1670. Ostern

A-1256."

1670.  
ost

RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
**HENRICUS**



Müller/

Theo. D. & Prof. Ordinar.

Ad

Gloriosam & salutiferam Conserva-  
toris nostri

**JESU CHRI-  
STI**

à morte resurrectionem

Pia cum devotione meditandum

Omnes, qui Academiam pro Ma-  
gistratu habent, officiosè invitat  
serioquè cohortatur.

---

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Universit. Typ. 1670.

*N. 256"*



Gullum ferè fidei Christianæ dogma tām  
vehementer, tā pertinaciter, tām ob-  
noxie & contentiosè ab Atheistis impu-  
gnatum unquā est atq; id quod de im-  
mortalitate animæ est caruisq; resurre-  
ctione. Animam enim hominis non  
minūs ac brutorum mortalem esse,  
ut ut qui inter gentiles sanam habue-  
runt sano in corpore mentem con-  
stanter negaverint, adfirmare tamen  
nec ipsum puduit Epicurum, nec alios Epicuri de grege soda-  
les, cuius rei testem habemus Ciceronem i. *Tuscul.* Accesserunt  
huic sententiæ Stoici, qui existimantes animam esse  $\pi\alpha\mu\phi\nu\zeta$   
 $\eta\mu\pi\pi\tau\epsilon\mu\pi\alpha$ , illum qui nobis connascitur spiritum, docuerunt il-  
lam corruptibilem esse, mansuramque quidem diu, sed non  
semper, ut refert Laertius lib. VII. Zenon. Juxta Plinium  
non magis à morte sensus ullus aut corpori aut animæ, quām  
ante natalem Galenus etiam Medicorum ille post Hippocratem  
Princeps animæ humanae immortalitatem si non negavit planè,  
in dubium tamen sine omni dubio vocavit. Platonem e-  
nim hanc ipsam immortalitatem in Phædone suo Phædroque  
ex instituto adserentem non veritus est ob id ipsum reprehendere libro,  
*Quod mores temperamentum corporis sequantur.* De  
quo audiendum nobis judicium summi olim in Ecclesia Viri,  
Isidori Pelusiotæ, qui lib. IV. Epist. 125. ad Proeschium  
Scholasticum Medicum; Pythagoras quidem & Plato, aliique  
apud

apud Gracos sapientie opinione clari animam pronuntiarunt immortalem & corruptionis expertem. Galenus autem mortalem prouantiauit, sed non est ipsi hac in re auscultandum. Nam dum Medico dogmati se accommodavit, suamque artem stabilire & commendare voluit, VERITATIS CURAM INSUPER HABUIT. De curatione namque corporum, quoniam bac in arte excellens fuit artifex vir ille, loquatur sane suo arbitratu. De anima vero certamen cum sapientibus ne suscipiat, neq; descendat in palestram, in qua non est exercitatus, neq;, cum sit athleta, judicium sibi sumat de arte musica, cumq; omnem suam prudentiam circa Corpora consumserit, de anima ne tradat dogmata. &c. Quantò rectius Philosophorum Princeps Aristoteles conceptis verbis animam hominis adiuvare pronunciat & audior. Quantò rectius Cicero in de Senectute; Sic mibi persuasi, sic sentio, quum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum, futurorumq; prudentia, tot artes, tanta scientia, tot inventa, non posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem. Non tamen, quod mirandum, in media defuere ecclesia, qui extingui unà cum corporibus etiam animas humanas crediderunt. De Saducæis id testatur Iosephus lib. II. B. J. c. 7. Idem docuisse Arabicos, quos θυητούχις propterea vocat Damascenus, ex Eusebio refert Augustinus lib. de heresib. ad Quod vult Deum heres. LXXXIII. Johannes etiam Papa Romanus ejus nominis XXIII. dixit & pertinaciter credidit, animam hominis cum corpore humano mori & extingui ad instar animalium brutorum, ut habent verba Sef. XI. Synodi Constantensis. In eandem si non expressis verbis, hypothesibus tamen suis sententiam eunt hodierni Photiniani. Nec minorem passus contradictionem fidei Christianæ de resurrectione carnis articulus. Quod enim ethnicos attinet, ridebant illi, si quis mortuorum causam apud illos peroraret. Apud Minutium Felicem, in dialogo qui Octavius inscribitur, Cæcilius gentilis, Nec bac, ait, furiosa opiniōne contenti aniles fabulas adstruunt & annelunt. Renasci se ferunt post mortem & cineres & favillas: & nescio quā

quà fiduciā mendaciis suis invicem credunt. Putes, eos jam revixisse. Anceps malum, & gemina dementia! celo & astris, qua sic relinquimus ut invenimus, interitum denuntiare: sibi mortuis, extinctis, qui sicut nascimur & interimus, aeternitatem repromittere. Nec turba tantum, vulgusvè gentilium, sed & celeberrimi eos inter atque acutissimi Philosophi de mortuorum resurrectione doctrinam sannis prosecuti sunt, ut Justinus orat. cont: gentil. & Epiphanius in Ancorato tradunt. Quod vix mireris, quum fidei hic articulus rationi humanae nescio quæ non objiciat absurdia. Ast mirum, post repressos tām potenter à Christo Saducæos & confutatos tām feliciter ab Apostolo Hymenæum ac Philetum repertos semper in ipso Christianorum cœtu, qui vel omnem in totum, vel ejusdem carnis resurrectionem obstinatissimè negarent. Habemus ipso seculo primo Saturninum Antiochenum, & Basilidem Alexandrinum apud Irenæum lib. I. c. 22. & 23. Seculo secundo Valentinum & Marcionem apud eundem c. 29. & Epiphanium heres. 24, 31. 52. Seculo tertio Manetem, vel, ut alii vocant, Manichæum apud Augustinum lib. IV, cont: Faust. c. 16. Seculo quarto Johannem Episcopum Hierosolymitanum apud Hieronymum lib. adv. error. I. H. Seculo sexto Evtychium Constantinopolitanum Patriarcham apud Gregorium M. I. XIV. Moral. in Job: c. 29. ut de quamplurimis aliis, quorum vestigia pressim hodiè legunt novi Samosateniani, nunc dicā nihil. Sed, quod mirere magis, ipsos cæteroquin orthodoxos Episcopos haut leviter exercuit de his carnis resurrectione sa- piuscule sed addubitante ventilata quæstio. De Cyrenium Episcopo Synesio Evagrius lib. I. Hist. c. 15. memorat, quod in Christianorum castra transierit quidem, sed quæ de resurrectione mortuorum Christiana fides teneret, admittere non potuerit. Origenem Adamantium, ad cuius eruditonem & pie- tatem totus ferè olim obstupuit Oriens, docuisse, resurrectu- ros mortuos, sed corporibus æcreis & impalpabilibus tradunt.

Epiphanius

Epiiphanius heres. LXIV. & Hieronymus epist. ad Pammach.  
quem tamen excusat Ruffinus prefat. in apolog. Pampb. Mar-  
tyris. Ultrumque vero dogma & illud de anima humanae  
iamortalitate, & hoc de corporum humanorum resurrec-  
tione vel ipsa Natura ipsis etiā gentilibus satis reddidit pro-  
bable. Immortalitatem animae contra Epicureos demon-  
stratus Cicero sic ex natura colligit i. Tuscul. Animorum nul-  
la in turris origo inveniri potest: nihil enim est in animis mix-  
tum, atque concretum, aut quod ex terra natum, atque secundum  
esse videatur: nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut i-  
gneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoria, men-  
tis, cogitationis habeat, quod & preterita teneat, & futura pro-  
videat, & complecti possit presentia: que sola divina sunt, nec  
invenietur unquam, unde ad hominem venire possint, nisi a Deo.  
Singularis est igitur quaedam natura, atq. vis animi, se juncta  
ab his iustatis, nonque naturis. Ita quicquid est illud quod sen-  
tit, quod sapit, quod vult, quod vigeret, cælestis & divinum est,  
ob eamque rem eternum sit necesse est. Resurrectionem quoq;  
corporum non impossibile esse perswasurus Cæcilio genti-  
litalem apud Minutiū Felicem Octavius Christianus ex na-  
tura instituit discursum: Vide, quam in solarium nostri resur-  
rectionem mortuorum omnis natura meditetur. Sol demergitur  
& nascitur: astra labuntur & redeunt: flores occidunt & re-  
viviscunt: post senium arbusta frondescunt: semina non nisi corru-  
piant revirescant. Ita corpus in seculo, ut arbores tempore hyber-  
no occultant virores ariditatem mentitam. Quid festina ut cru-  
dæ ad buchymen reviviscat & redeat? expectandum etiam cor-  
poris ver est. Eadem plane ratione Augustinus Serm. XXXIV  
de verb. Apost. Tota inquit, bujus mundi administratio testimo-  
nium est resurrectionis futurae. Videmus certè hyemis tempo-  
re vel adventu arbores spoliari pomis, nudari foliis; sed eas etiam  
verno tempore speciem resurrectionis exprimere: quæ primò qui-  
dens

dem incipiunt turgere in gemmis, tunc ornari in floribus, & vesti-  
ri foliis, & postmodum pomis gravari, Interrogo te, infidelis  
homo qui de resurrectione dubitas, ubi sunt ista, que tempore,  
quo Deus disposuit, producantur in Dic mibi, ubi latitant, ante-  
quam producantur? qua nusquam quidem videntur, sed tamen  
Deus, qui omnipotens est, & ea ex nihilo condidit, secretâ sua  
virtute producit. Hincjam ad campos & prata respicite, qua  
estate transactâ herbis suis spoliantur ac floribus, & nuda re-  
manent ipsa spatha terrarum: sed iterum verno tempore reves-  
tuntur, & novo ubique germine incipiente letatur agricola. Cer-  
te herba, que ante vixit & moritur, rursus reviviscit ex semine,  
sic etiam nostrum corpus reviviscet ex pulvere. Eodem demoni-  
stratus resurrectionem ejusdem carnis utitur argu-  
mento Paulus 1. Cor. XV, quo & Evtychium Patriarcham  
Constantinopolitanum convicisse sese, ut moritus pels-  
lem suam manibus apprehendens diceret, Confiteor, quod  
in hac carne resurgentemus, scribit Gregorius lib. XIV, Moral. c. 25  
Sed nullis hisce in convincendis de utroque dogmate Chri-  
stianorum animis opus est argumentis. Unicum enim illud  
**SURREXIT**, quo compellat mulierculas Christū inter mor-  
tuos querentes resurrectionis Dominice fulgidissim⁹ præco  
Angelus, id apud eos præstare sufficienter potest debetque.  
Certè, si Christus verè surrexit, sequitur, quod verè  
etiam fuerit mortuus. Non enim verè surgit nisi qui ve-  
rè cecidit. At si verè mortuus, & tamen non mortuus  
quoad animam, secundūm quam eopse quo expiravit mo-  
mento cum latrone cōverso fuit in Paradiſo, dic, sodes, quo-  
modo anima hominis erit mortalis? aut statuendum tibi,  
non verè mortuum esse Dominum, quia non quā totum sui  
in statu naturali mortuus, sed tantūm quoad corp⁹; aut cre-  
dendum, non habuisse animā humanā, ut potè quæ ex néces-  
itate naturæ mortal is sit; sed aliam quandā, cui ex singulari  
privilegio

privilegio donū immortalitatis fuerit concessum; aut dete-  
standum Epicuræum illud dogma, animam hominis non  
minùs ac brutorum unà cum corpore interire. Possent in-  
numera alia pro immortalitate animæ ex Scripturis afferri  
documēta, sed inhærem⁹ unicè voci præconis celestis, SUR-  
REXIT. Quæ etiam eadem nos docet resurrectionem mor-  
tuorum & non esse impossibilem & fidelium certò eventu-  
rā. Nam &, si nulli mortui resurgunt aut resurgere possunt,  
quomodo Christus, qui verè mortuus, resurgere potuit?  
& si cuncta membra æternæ morti mancipata, ad quid caput  
è morte eluctari debuit? Dic lodes, quæ capitis, si avul-  
sum fuerit abs membris, vita esse poterit? SURREXIT Chri-  
stus resurrectionis suæ ipse sibi autor causaque (quicquid  
reclament Photiniani) efficiens principalis. Qui enim susci-  
tare virtute suâ divinâ seipsum non potuerit, qui mediâ in  
mortē ex ἐνώπιον & περιχωρήσει personali, quæ semper mansit  
indissoluta, possedit virtutem verè vivificam, quam & in  
suscitatione sui exseruit declaratus filius Dei in potentia, secun-  
dum spiritum sanctificantem, per resuscitationem mortuorum  
non aliorum tantum, sed in primis sui Rom. I, 4. Nec sibi  
tantum, sed & nobis SURREXIT Dominus autor principi-  
umquæ factus fidelibus suis resurrectionis ad vitam, ut  
quisque eorum cum Prudentio dicere nunc queat,

*Solvo morte meâ, Christivirte resurgo.*

Hinc non sine causa Timotheum hortatur Apostolus,  
ut nominatum illum fidei articulum, qui est de resurrecti-  
one Christi, animo probè insigat suo, perpetuaq; recolat  
memoria: *Memento Iesum Christum resurrexisse à mortuis II.*  
*Tim. II, 8.* Christi enim resurrectio, cui nostra innititur,  
communis resurrectionis fidei usor est, juxta Theodoreum  
in epist. div. dogm. siquidem in Exemplum spei nostræ resurrexit,  
ut loquitur Tertullianus lib. de resurr. carn. Neque passio  
one

one aut morte suā nobis profuisset, nisi gloriam divine resur-  
rectionis dedisset, dicēte Gregorio M. in prefat. Pasch. Hinc et-  
iam veteri Ecclesiz tām orientali quām occidentali in sum-  
mis fuit deliciis vox hęc Angelica, SURREXIT. Græca cer-  
tè & quę ejus filia est, Russica hodie non nisi his verbis sa-  
lutatis suos, χριστὸς ἀνέση, resalutaturq; à suis, αληθῶς ἀνέση  
uti produnt Metrophanes Critopulus in conf. eccl. Orient. &  
Olearius lib. II. Itin. Pers. c. 15. Latina verò ingenti perfusa  
gaudio suum intonat illud SURREXIT CHRISTUS HO-  
DIE. Surrexit caput, surgemus etiam membra. Surre-  
xit Rex, surgemus subditi. Surrexit prim⁹, sequemur omnes,  
in vitam verō & gloriam nonnisi qui habemus partem in-  
resurrectione prima surgimusq; à vitiis ut vivamus justi-  
tiæ. Spiritus enim regenerationis est arrha resurrectionis  
beatæ, & per regenerationem corpora nostra future resurre-  
ctioni inaugurantur, ut Tertullianus inquit lib. de resurr. Hoc  
ergo meditamini, Cives, hoc agite, ut sicut Christus suscitatus  
est ex mortuis, ita & vos in novitate vitæ ambuletis, quod & de  
Vobis verè dicere liceat, quod ad mulierculas metu cōcussas  
de Servatore Dōmino Angelus, SURREXIT ET NON EST  
HIC. Sursum corda. In celum mente concendite, sole  
hunc, solumque hoc despicite. Det vobis Domi-  
nus οὐνεῖν καὶ ὑπάνοντα εἰ πᾶσιν!

P. P. Rostochii sub sigillo Rectoratus  
Anno M. DC. LXX. ipso die resur-  
rectioni Dominicæ sacro,  
III. Aprilis.








privilegio donū immortalitatis fueri-  
standum Epicuræum illud dogma, a  
minùs ac brutorum unà cum corporo  
numera alia pro immortalitate animi  
documēta, sed inhærem⁹ unicè voci p.  
REXIT. Quæ etiam eadem nos docet  
tuorum & non esse impossibilem & fio-  
rā. Nam & si nulli mortui resurgent a  
quomodo Christus, qui verè mortu⁹  
& si cuncta membra æternæ mortim a  
morte eluctari debuit? Dic Iodes,  
sum fuerit abs membris, vita esse potes-  
tus resurrectionis suæ ipse sibi auto-  
reclament Phoriniani) efficiens priuci-  
pare virtute suâ divinâ seipsum non po-  
morte ex èrōe & περιχωρή personali  
indissoluta, possedit virtutem verè vi-  
fuscitatione sui exseruit declaratus fili-  
dum spiritum sanctificantem, per resuſ-  
citionem aliorum tantum, sed in primis sui  
tantum, sed & nobis SURREXIT Domi-  
num quæ factus fidelibus suis resurre-  
quisque eorum cum Prudentio dicere

Solvor morte meā, Christivirtu-

Hinc non sine causa Timotheum  
ut nominatim illum fidei articulum,  
one Christi, animo probè infigat suo  
memoria: *Memento Iesum Christum re-*  
*Tim. II, 8.* Christi enim resurrectio  
communis resurrectionis fidei usor est,  
in epist. div. dogm. siquidem in Exemplu-  
m loquitur Tertullianus lib. de resurr.



the scale towards document

postolus,  
resurrecti-  
on; recolat  
mortuis II.  
nnititur,  
doretum  
resurrexit,  
ue passio  
one

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. \_\_\_\_\_